

LEBEN
Nr.
137

N. i. 297

15 Kirchpredigten

~~predigten~~ mit dem

Kanonen

aufgaben!



CLYPEVS IMPERATORIVS

Memoriae

Illustris atque Excelsissimi

DOMINI

DN. GEORGII
CHRISTOPHORI
ab HOLLE,

Serenissimorum ac Celsissimorum Du-
cum Brunovico-Luneburgicorum lineæ Guel-
ferbytanæ auspiciis augustissimis militantium in Brabantia
copiarum pedestrium Magistri Primarii & Imperatoria
ibidem eaque Majori Dignitate eminentis, Domi-
ni Hæreditarii in Ecker & Duunsen &c.

Viri meritis in Patriam & exercitum omnem,
egregieque pro salute Europæ ac fortiter gestis
maximè insignis,

*Domini ac Patroni sui optimi & optime
meriti*

Cum Bruxellis Mense Novembri A. O. R.
clō lōc xclll, placide ac pie animam Deo reddidisset, corporis
verò exuviae inde advectæ in æde Megalo-Golterensi Pri-
diè Idus Januarias A. clō lōc xciv, solennibus con-
decorarentur exequiis,

Ad testandam *συμπάθειαν* & observantiam erga avita nobilitate
& virtute conspicuam nunc acerbissimè lugentem Hollio-
Heimburgicam domum


piè erectus & consecratus calamo licet deproperante

à
POLYCARPO LYSERO, S. Theol. Doct.
& Præsule Wunstorpiensi.

HANNOVERÆ,
Literis Samuelis Ammonii, ELECT. AULÆ Typogr.

Ni 237 (46)

* * *


 Ociamini de clypeo S. Georgii socii
 Clypeum Georgii Imperatoris consecrandum decoraturi,
 decoratum templo illaturi, illatum dedicaturi.
 Latentes condite clypeos, latentia prodituri vulnera.
 Atratos venire imperat dies, quæ atra venit & nefasta,
 eadem candidas redire alias, redeuntes fastis prohibet inscribi.
 Lessos intonate clypeis, terribili terrentes fragore,
 Obliti prosperitatum hastis clypeos ferite,
 quibus dolorum nescii genua brevi abhinc feriebatis.
 Inversis clypeis funus imperate Imperatorium,
 clypeum fato subversum, gaudia citius eversa ostendite,
 tradere parati & potestatis & libertatis clypeos,
 si mortis traditus potestati posset liberari,
 quem clypeum suum eumque unum instar omnium
 exercitus, familia, omnes agnoscunt, venerantur,
 Georgium date in Georgio bis redivivum,
 Heroon Herois stipendiariis ornate planctibus,
 cum Divo inter Divos jam celebrem celebrate.
 Dolete fuisse Virum Virtutis verè Germanæ
 Domo æternali claudendum domus suæ Dominum,
DN. GEORGIUM CHRISTOPHORUM ab **HOLLE**,
 quem nominasse plus est quàm alios laudasse,
 virtutum cumulis laudes cumulatas excedentibus.
 Georgio Martyri Justinianus Imp. ædem dedit & dedicavit,
 Diem & domum Georgio dedicatas Anglia colit & recolit,
 fabulas hunc dedisse pios piè decepturas edocta.
Georgii nostri memoriam piorum memores memorabunt posterì,
 qui ob egregia facta figmenti omnis ignara
 & rarum raræ inter milites sanctitatis exemplum
 Sanctissimis dudum & innocentissimis assertus Heroibus
Coram Sanctissimo inter Sanctitatis Principes nunc triumphat,
 sanctam animam sanctitate ceu clypeo cingente.
 Statuerunt Veneti prisca D. Georgii statuam
 dextra clypenm, gladium sinistra tenentis,
 conscio an inscio, dextrè certè errante statuatio.
 Nil errabimus errorum alias memores nostrorum,
 Georgium nostrum talem post fata fingentes,
 qui ad defendendum proclivior quàm ad offendendum
 vulnera & funera avertere verebatur minus quam inferre,
 potiori semper populum suum tuendi quàm hostes depopulandi cura.
 Gladiis duobus, clypeo unico munitus Gallus
 Vix semel munito Manlio manus dat victas.
 Clypeis binis, uno armatus gladio Georgius noster
 Et Christiano & Imperatore dignè pugnavit & expugnavit,
 prudentia, pietate, patriæ salute armis instruente,
 Virtute honores clypeorum, clypeis honorum præmia augmentibus,
 & fortunas aureas, publicas ac privatas restituentibus.
 Felix ad omnia Censorinus infelicissimus erat Imperator;
 Felicissimus **HOLLIVS**, quia Imperator,
 Feliciores quosvis feliciter æquaturus, superaturus,
 nisi una longævitas defuisset felicitas.
 Achillem dicimus Achille Romano L. Sicinio feliciorum,
 hoc novies, nostro sæpius post pugnas salvo.
 Clypeum salutamus populi Romani clypeo Fabio illustriorem.
 Nihil in Nostro immaturum, nihil properum, nihil asperum,
 gravia omnia, lentè festinata, matura.
 Consecravit Adriano clypeum magnificentissimum Antoninus Pius
HOL-

HOLLIO Pietas ipsa piè consecrat clypeum,
obsecrans, ut consummata consecratio nunquam refecretur.
Debetur hæc pietas Sacratissimo Imperatori,
cujus pietatem impii, integritatem invidi testantur,
& de omnium sententia orbi universo jubent commendari.

Verbo omnia; paucis multa:

Clypeorum clypeus fuit HOLLIUS, scutorum scutum,
ex cujus unius salute salus fluxit plurimorum,
quem cœlis redditum terræ sibi mallent reddi.
Omnia habebant, Omnia amiserunt, amissa reposcunt milites
salutem unius suo omnium si liceret redempturi interitu.
Felicem Romam nondum repetito felicitatis clypeo;
Infelices milites! cœlo auferente clypeum quem dederat,
& inter clypeos soli exaltatum ad poli excelsâ tollente,
Tali clypeo Germania ægrius caret quam gladiis,
magis indiget quàm Roma terrarum Domina.
Demarati suffragio suffragantur optimi:
universos servari clypeis, arma reliqua vix singulos servare,
Nec cædi potuit nec cedere voluit M. Scæva
terebrato licet clypeo centies & amplius;
Non poterant clypeum unum hostes uniti sternere,
at unus omnium, hostium ultimus servatum toties prostravit.
Salvo clypeo suo cadens Epaminondas salva credidit omnia,
plurimorum mortem sua redimi credens morte;
Cadente Epaminonda nostro cadit simul clypeus
plurimis sibi quoque cadendum esse augurantibus.
Lugent cum Vidua clypei videntes viduitatem,
Queruntur quiescere clypeum solidiorem,
Domino priori orbatum, pari Domino posthac non gavisurum,
qui digna sanxit militibus solidis, Germanis, Christianis,
sancita implevit ipse, implendo fortius jubens quàm sanciendo.
Gloriæ nihil amiserat Brasidas Spartanus clypeo amisso,
quem amisisse præcipuæ alias erat ignominia.
Amittit HOLLIUS clypeum Gloriæ aditurus adyta,
solidam triumphi solidi retinens gloriam,
& armis positis pace fruens gloriosa.
Sacris arcebantur, comitiis prohibebantur Germani,
abjectis clypeis, non item adentis.
Clypeo adempto HOLLIUS sancta sanctorum jubetur intrare,
sanctis Sanctissimorum Comitiis assertus.
Erigitur juxta Pacis templum puniceus HOLLII clypeus,
Pacem instar punicei Danorum scuti signaturus.
Dicatus memoriæ Patris piissimi clypeus
paternæ pietatis memores reddet filios atque æmulos.
Fingebantur imagines Majorum in clypeis, virtus non poterat fingi
Fingitur viva in vivis avitarum laudum hæredibus,
in quibus sepultus reviviscet Pater, ablatus reddetur clypeus.
Tollent quasi filii clypeum de sepulcro, Victores reponent,
violati sepulcri paterni nemo peraget reos.
Equestrem HOLLII clypeum posteritas ignorabit prostratum,
Tumulo impositus titulus ignorare non finet,
monumentum templi instar aditu juvabit frequentare,
clypeum in templo positum religiosa coluisse æmulatione.
Triumphat miles militia finita, triumphî ornamentum, clypeum
Deo consecrat triumphans, quem militans à Deo acceperat.
Fuit Deus spectator pugnarum, est idem comes victoriarum.
Prælia Domini depræliantibus præmia distribuit Dominus.
Et præliorum & præmiorum omina ex clypeo capimus,
Nominibus bellum & pacem, hanc post illud ominatis,
Laborandum, post labores quietem fore edocentibus.

Nolu

Nolumus ominations clypei inquirere curiosius,
 Arcana literarum Cabbalisticis relinquimus vestiganda,
 Numerationum mystæ numerorum numerent mysteria.
 Adiri perunt abdita sua, pandunt penetralia regni sui,
 supernam familiam regentis intima recludunt.
 Clypeum inspicere volunt fugentem à Patribus tribus
 influentem in trinos exercitus
 Ducibus totidem, Michaële, Gabriele, Nuriële conspicuos.
 Fœdus & fundamentum in summo palatii structum fastigio
 structura in spiritualibus inversa ostendunt.
 Desipere videbimur, si altiora sapere, cœlestia rimari gestiamus.
 Vovebimus potius clypeum HOLLIANUM, voventes consecrabimus.
 At quo ornatu, quo emblemate, quo digmate notabitur?
 Vacuum dabimus? quoniam *Par nulla figura dolori;*
 vel quia *melior fortuna notavit*, notis quamvis nobis ignotis.
 Gemmatum ponemus? cum *Pietas Tutetur & ornet.*
 Aureum locabimus? quia *Virtuti pretium ex fulgore* additur.
 Argenteum sed chrysographatum candor poscit & fides,
æternam post funera vitam promittit.
 Æneus placebit? *Mens recti conscia victrix.*
 Atratus aureis cœlatus literis eligetur, si *lumen &*
Umbra vitæ ac mortis una fingi debent imagine.
 Ferreus ferreis ætatibus aptissimus, cum *ferrum territet hostes.*
 Ignitum pingamus: *Ignes minatur & arcet.*
 Certare malim de coloribus, picturis & scripturis Gentiles
 Draconem, Leonem, aquilam, caput Medusæ,
 Delphinem, fulminantem Cupidinem, Neptunum,
 fingentes, pingentes, scribentes.
 Christum delegerant clypeorum digma Christiani Veteres,
 Judæi prisca Davidem æmulaturi nomen Jehovah.
 En clypei notam omnia referentem!
 En clypeum fidelium in terris, electorum in cœlis!
 Deficiant in Israële clypei, Jehovah non deficiet,
 Erit Christus omnium clypeis carentium clypeus.
 Jehovah est Sol & clypeus, gratia cingens ut clypeo.
 Omnem universi fabricam clypeus à Vulcano fabricatus pingebat;
 Universi fabricator Jehovah, per quem omnia sunt, erunt, fuerunt,
 Fuit & est adhuc HOLLIO omnia in omnibus
 Erit idem domui Hollianæ omnia;
 Vehet is vivos, mortuos ad cœlestem transvehet patriam,
 modo patriæ amor cum Messeniis & Spartanis clypeus notaverit,
 & igneis fidei clypeis Ignea Ignivomi propulsaverint tela.
 Intuemini clypeum HOLLIANUM, Jehovah!
 Certæ pignus est tutelæ, æternæ sponfor gratiæ,
 Est gemmatus: *In lumine lumen.*
 Est aureus: *Toto surget gens aurea cælo.*
 Est chrysographatus: *Præsidio & decori.*
 Est æneus: *Ex hoc præsidium firmum.*
 Est atratus auro cœlatus: *In tenebris lux.*
 Est ferreus: *Vis nulla resistet.*
 Est ignitus: *Ignibus ignes exstinguit.*
 State igitur, stante hoc clypeo nunquam cadetis,
 Hoc defendente nemo vos offendet.
 Nolite timere, clypeus vester est Deus & præmium pretiosum,
 Erit Dominus Dominorum domus Vestræ clypeus,
 nec abjiciendus unquam nec amittendus.
 Salvo clypeo salvus HOLLIVS! salvi vos omnes!
 Clypeum ardentem in aëre videor videre, Sole irradiante,
 ab occasu ad ortum vibrantur ignes scintillantes,
 dextra Jehovah clypeo gemmas inserit fulgidissimas:
Post tenebras lux plena redibit.

V I R T U T I

Viri ingenitæ stirpis non minus ac
militiæ laudibus inclyti

Illustris admodum

D O M I N I

DN. GEORGII
CHRISTOPHORI

ab HOLLE,

Hæreditarii in Ecker & Duunsen,

Ser^{mæ}. Brunsvico-Lüneburgicæ Domus, Guelf.
ferbytanæ lineæ, pedestres inter copias Imperatoris
dignitate ex merito ornati

debitum

Nr 237

M N H M O Σ Y N O N

exhibitum

ab inferius nominato.

VIRTVT I

Viri ingenio superis non minus ac
militia laudibus inclari

Militis admodum

DOMINI

DN. GEORGI
CHRISTOPHORI

ab HOLLE,

Hereditarii in Eckel & Dautzen,

Setma Brunsvico. Ansburgicae Ducis, Guesle

scripsit lines, pedibus in copias imperatoris
dignitate ex merito ornati

dehant

M I N N O Z Y N O N

exhibuit

ab interis nominato

D. S.

Heroicas. quisquis. cum. pietate. dotes.
Amica. junctas. Societate,
Nosse. gestis.
Huc. ades.

Q. H. S. E.

GEORGIUS. CHRISTO-
PHORUS. ab. HOLLE.

Illustrium. natalium. splendorem.
Propriæ. virtutis. fulgore. decoravit.
Minervæ. primum. Martis. postea. alumnus.
Utriusque. cultor. industrius.
Togæ. sagoque. idoneus.
Postquam.
Bellicum. theatrum. ingressus.
Ad. illustriores. gradus. citius. transgressus.
Negotiis. consiliisve. Bellonæ. admotus.
Dexteritatis. Prudentiæ. Fortitudinis. laudem.
Duodenis. &. amplius. expeditionibus. comprobata.
Merito. rettulit. suo.
Ser^{mis}. Principibus. Remigio. Alt^{mi}. Unis.
Unice. addictus.
Commoda. propria. spernendo.
Fidelitatis.
Qua. nihil. in. Ministro. sanctius.
Verum. fontem. ostendit.
Superiorum. Amorem.
Invictus. Heros.
Quem. nec. sanctus. nec. Magnus. vicit. Ludovicus.
In. ipso. scilicet. Ludovici. festo.
Adversum. Ludovicianas. copias.
Superstitiosa. Ludovicianæ. lucis. fortuna. fretas.
Walcurtum. tuendo.
Edita. prostratorum. strage.
Nomenclatoriam. prostravit. vanitatem.
Strenuam. præterea. gravitatem.
Morum. facilitate. temperans.
Animum. pacatum. bellicæ. virtutis. commercia. non. horrere.
Imo. fidei. pietatisque. cultor. non. fucatus.
Secus. ac. vulgus. errat.
Compossibilia. evicit.
Castra. simul. &. Christum. sequi.
Viva. armigeræ. pietatis. imago.

Martia-

Martialibus, porro. Maritales, jungens, faces.
Connubium, cum.

URSULA, ANNA, HEIMBURGIA.

Genere, plurimum, virtute, magis, fulgida.
Secundum, pariter, ac, fœcundum, iniit.
Filiorum, quatuor, filia, unica, parens.
Stemmatis, pervetusti, unico, in, capite, nutantis,
Instaurator, novus,
Sed, eheu!

In, ipso, ætatis, honorumque, Auge.
Non, Martem, sed, morbum,
Mortiferum, expertus.

Laudabilis, per, omnia, vitæ, terminum.
Bruxellis, vidit, haud, invitus.
Quippe, militia, legibus, inutritus,
Qui, parere, didicerat,
Miles, Christianus.

Supremo, vitæ, necisque, Arbitro, dicente.
Vade, Veni.

Promptus, Audit, Abit, Obit.
Sui, quotidianus, victor.

Hostium, multoties, gloriosus, debellator,
Providus, ac, felix.

Hujus, &, futura, vitæ, possessor,
Interminabilem,

Famæ, vitæ, Victoriæ, Gloriæ, Coronam, indeptus,
Terris, demtus, Cœlis, datus,
Suis, reddendus.

Quorum, dolori, medendo,
pie, monet.

Morosum, mortis, divortium.

Suavi, perennis, vitæ, eonfortio,
resarciendum.

Anhelando, expectare.

Exiguo isthoc


Holliane in se humanitatis


Nullis meritis provocate memoriam

Se colere profitetur

Cultrumque pollicetur

M. Ernest, August, Stisser,
Verbi Minister in Barfinghausen.





CLYPEVS IMPERATORIVS

Memoriæ

Illustris atque Excelsissimi

DOMINI

DN. GEORGII
CHRISTOPHORI
ab HOLLE,

Serenissimorum ac Celsissimorum Du-
cum Brunovico-Luneburgicorum lineæ Guel-
ferbytanæ auspiciis augustissimis militantium in Brabantia
copiarum pedestrium Magistri Primarii & Imperatoria
ibidem eaque Majori Dignitate eminentis, Domi-
ni Hæreditarii in Ecker & Duunsen &c.

Viri meritis in Patriam & exercitum omnem,
egregieque pro salute Europæ ac fortiter gestis
maximè insignis,

*Domini ac Patroni sui optimi & optime
meriti*

Cum Bruxellis Mense Novembri A. O. R.
clō lōc xlll, placide ac pie animam Deo reddidisset, corporis
verò exuvia inde advectæ in æde Megalo-Golterensi Pri-
diè Idus Januarias A. clō lōc xciv, solennibus con-
decorarentur exequis,


Ad testandam *συμπάθειαν* & observantiam erga avita nobilitate
& virtute conspicuam nunc acerbissimè lugentem Hollio-
Heimburgicam domum

piè erectus & consecratus calamo licet deproperante

POLYCARPO LYSERO, S. Theol. Doct.
& Præsule Wunstorpiensi.

HANNOVERÆ,

Literis Samuelis Ammonii, ELECT. AULÆ Typogr.



Ni 237 (46)

